

10
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10
11.



1674.

1. Ansinck, Timbertus: De obligatione ex literis
communis dabitur
2. Balman, Fridericus: De jure meliorationum competentis
emptori ex pacto revocandi [7 di]
3. Elwest, Philippus Jacobus: De servitutibus s. iuribus
in alium territorio quaeritis.
4. Marxius, Johannes: De his, quae de perductione jure
civili constituta sunt.
5. Obrechtus, Ulricus: Sacra terminum.
6. Rebban, Johannes: De iurejurando litis decisorio
7. Sachs, Christophorus Melchior: De orphanotrophio
8. Schell, Johannes: De jure naufragii colligendi.
9. Schilling, Fridericus: De approbatione medicorum.
10. Schall, Bartholdus Hieronymus: Saultis regimen
antecedentia.
11. Stapkorf, Andreas: De alienatione actionum in potestate
fiores.

1674.

12. Hocken, Gerardus von: De lege aurea C. de mutat. 5.
nom -
13. Urbani, Abraham: De S. R. imperii Electoribus 6.
14. Vesmer, Franciscus: De admiralitate 7.
p. 2. Villingen, Johannes Regulus: De principio. 2. Aufl. 7.
16. Waldschmidt, Johannes Neudum: De pacto remuneratio. 8.
17. Wieger, Fridericus: De renovationibus banorum. 8.

1675

1. Erasmi, Otto Johannes: De compensatione delictorum 9.
2. Harlman, Franciscus Thomas: De salvo conductu iudiciali 10.
3. Haels, Sigismundus Henricus: De litium expensis, quas
riches ob non iustam litigandi causam praestare
tenentur. 11.
4. Kaempfer, Johannes Nicolaus: Quomodo in laesae majestatis
crimine procedatur et qui sint rebelles?
Ad cons. 1. Henrici VIII Rom. Imp. 13.

1675

5. Mejer, Conradus: De manu longa et brevis.
6. Wisetus, Guilielmus: De culpa ejusque natura in contractibus.
- Titulus**
7. Brechtius, Ulricus: Excerpta historica ex actis comitum
Saxonum imp. Rom. Germanici de reservato ecclesiasticorum.
8. Brechtius, Ulricus: Sponsus pacis sive de garantia.
9. Rau, David: De promissionibus in vim juramenti
factis.
10. Reibhan, Johannes: De statutis civitatum imperii libera-
rum et immediatarum.
11. Reibhan, Johannes: Quæstiones juridicas.
12. Reibhan, Johannes: Quæstiones in libris hinc inde delibata
Forum.
13. Salzman: Joh. Rudolphus: De taxa.

1675


14. Stocken, Gerardus vrn. De capitacione civium
causibus criminanda. Disputatio ad l. un. Cod.

15. Stocken, Gerardus vrn. Quaestiones juris
cellanae.

16. Hoerrens, Gottfriedus. Selectarum juris quaedam
de casu divortia.

[Faint handwritten text on the left margin, including "mm", "7-", and "no nam"]





DISSERTATION UNIVERSALIS

ON THE NATURE

OF THE COMBUSTIBLES

AND THE EFFECTS OF

THEIR COMBUSTION

BY JOHN CONSULTISSIMO
DOCTORUM ORDINIS

Inchoa Argentoratensis Academia

LICENTIA

HONORIS

FRIEDRICH
UNIVERSITÄT
ZU HALLE

JOHANNES AMBINGK

Halle

Druck und Verlagsanstalt

Druckerei

DRUCKERIEI FRIEDERICI SPOOR

ANNO M. DC. LXXII.



15

16

P. H.



Vol. XXI. num. 19.

*996.
~~XXXII~~*

L.

1674, 5.

Q. D. B. V.
SACRA TERMINI

Præside
ULRICO OBRECHTO,
Hist. Prof. Ord.

*Ad examen Solenne
exhibita*

à

JO. FRIDERICO TRIER,
Mainunga Hennebergico.

D. m. Martij.

ARGENTORATI,
Typis JOH. WILHELMI TIDEMANNI, ANNO clō lōc LXXIV.

G. D. B. V.
SACRA TERMINI

Ulrico Obrecht

Ulrico Obrecht

Ulrico Obrecht





fig
cum
na j
vim

vel
que
que
Pict
nem
den
sed
nat
tam
tem





C. B. D.
SACRA TERMINI.

I.



*M*periorum fines profanis gentibus super-
stitione sacros, inter sanctioris disciplinae
conscios dicata supremo finium Custodi reli-
gio consecravit. cujus sincero cultu censer
unice cupiunt, quae hic ad usum Academicæ
Disquisitionis Sacra Termini adornamus.

II. Sub isto quippe elogio, citra periculum irreligiosæ
significationis, quam his vocabulis Gentilium vanitas cir-
cumdederat, exhiberi posse videbatur *illa naturalis atq; adeo æter-
nae justitiæ sanctimonia, qua publicos regnorum nationumq; limites contra
vim atq; injuriam Deus munivit.*

III. Sive autem termini à natura positi populos segregent,
veluti *montes, maria, flumina;* sive limites humano opere arbitrio-
que constituti; quales *murus Sinensis* contra Tartaros exstructus,
quem describit *Martinius Hist. Sin. Dec. 1. lib. 6. p. 208.* tum *murus
Picticus* de quo vid. *Camdeni Britanniam p. 710. & seqq.* ad religio-
nem finium ipsorum parum interest: cum ne naturales qui-
dem limites, munus finiendarum gentium à natura habeant,
sed ab impositione humana consequantur, & populi neque
naturalibus, neque ab arte statutis munimentis discreti, jure
tamen, & qui haud raro finium locum sustinet, mutuæ po-
tentiae metu separentur.

IV. Atque id quidem in progressu hujus tractationis
A 2 planius

Plutarch. A-
popht. La-
con.

A' ex. lib. 3.
p. 150. ed.
Steph.

planus apparebit : Cæterum si quis illud *Lysandri Lacedæ-
monij* nobis obiiciat : *ὁ τῆς μάχαιρας κρατῶν βέλτερος περὶ γῆς ὄρων
διαλέγεται.* *Ejus demum est optime de finibus disputare, qui gladium tenet:*
authoritate cordationis exempli nos tuebitur *Minerva* pacis, &
quæ pacem firmant ornantq; honestarum artium præses, quam
communi quondam factario cū *Deo Termino* consecratam, ut
Dionysius Halicarnassæus author est; iisdem deinceps publice mo-
numentis Romani celebravere; quod *veteres nummi* testantur.

V. Et insuper sacrorum nostrorum apparatus, eous-
que non porrigitur, ut quæ copiosius alibi *de finibus imperio-
rum augendis, muniendis, recuperandis*, vel præcepta instruuntur,
vel consilia laudantur, vel controversiæ agitantur, tam an-
gustæ scriptiois ambitu complectatur; soli quam *Deus tu-*
lit sanxitque terminalis legis venerationi destinatus.

VI. Licet autem ad hæc sacra parum idonei mystæ
putandi sint, qui tum demum rite litatum *Termino* credi-
derunt, si coram informi saxo aut rudi stipite, cerimonias
sacri cultus prostituissent: ad demonstrandam tamen vim
luminis naturaliter ingenti, haud leve pondus confert;
quodd etiam *Gentiles*, ejus religionis, qua violare publicos
Imperiorum fines nefas habetur, *Deum auctorem, custodem,*
vindicem agnovere.

Pollux IX, 1.
Plato de
Legg. VIII.
p. 648.

VII. Inde *Jupiter Terminalis* ζεὺς ὄρων tanta olim vene-
ratione cultus; cui in territoriorum confiniis, plerique Græ-
ciæ populi aras & templa sacrarunt. In quibus præsertim
memorabilis ὁ βωμὸς τῆ Διὸς τῆ ὄρων ara *Jovis Terminalis* (ita e-
nim legendum vertendumque: non ὄρων montani, ut *Wolffius*
nullo congruo sensu, exhibuit) quam in *Chersonesi* finibus
Athenienses statuissent, *Author orationis de Haloneso*, sive is *Demo-*
sthenes, sive ut *Libanis* visum, *Hegesippus* existimandus est, cum
hoc *Epigrammate* refert:

Τὸν δὲ καθιδρύσαντο θεῶ περιβάλλεα βωμὸν
Λευκῆς καὶ πτελεῖ μέσσον ὄρον θέμενοι
Ἐννά-

Εὐνάεται χώρης σημήϊον. ἀμμοεῖης δὲ
Αὐτὸς ἀνάξ μακάρων ἐστὶ μέσθ' Κρονίδης.

*Limes ut in medio Leuca Pteleique notetur,
Hac est excellens ara sacrata Iovi.
Ne populos turbet contentio, Iupiter ipse
Rex superum medius limite signat agros.*

VIII. Neque minus celebre fuit templum Jovis con-
termini Διὸς ὀμοεῖς, quanquam diverso usui destinatum, quod
Crotoniatis, Sybaritas, Cauloniatis unanimi consensu post
cruenta dissidia posuisse Polybius memorat: exemplo ab A-II, 39.
chæis desumpto: quorum conventus & concilia publica in
æde Jovis contermini haberi consuevisse, haud difficulter
indidem colligere licet.

IX. Romani, qui ex Numæ instituto, & ipsi publi-
cos juxta privatosque terminos Jovi Terminali sacros voluere;
ut major Terminorum cultui ab antiquitate veneratio acce-
deret, eum se pro Deo Termino lapidem colere finxerunt, quem loco Jovis ad infantis similitudinem fasciis involutum
Saturnus devorasset. Lactantius: Quid qui lapidem colunt infor-
mem atq; rudem, cui nomen est Terminus? Hic est quem pro Jove Sa-
turnus dicitur devorasse. Si tanti est idoli vanissimi natale
solum novisse, ex Proconeso desumptum, Agathocles Babylonius
tradit: postquam vero Jupiter patri denuo cum cæteris li-
beris, quos devoraverat, extorsisset, in Parnasio statutum
Hesiodus refert:

Τὸν μὲν Ζεὺς στήριξε κτ' χθονὸς εὐρυοδείης
Πυθῶι ἐν ἠγαθῇ γυάλοισι ὑπὸ παρνησοῖο
Σῆμ' ἔμεν ἔξοπίσω, θαῦμα θνητοῖσι βροτοῖσι.

Theogon. v.
498. adde
Apollodor.
Bibliothec.
Lib. 1. p. 21

*Illum quidem Iupiter in terram spatiosam firmiter de-
fixit*

A 3

Indi-

acede-
s δρω
tenet:
cis, &
quam
am, ut
e mo-
antur.

eous-
perio-
antur,
m an-
us tu-

mystæ
credi-
onias
n vim
nfert;
blicos
odem,

vene-
Græ-
fertim
ita e-
Volfius
inibus
Demo-
t, cum

ομόν

υνά-



*In divina Pytho sub jugis Parnassi:
 Ut in posterum insigne monumentum existeret quod ho-
 mines admirarentur.*

Quo jure ad Romanos inde migraverit, & quomodo non cum Jove tantum, sed cum Delphis transigendum sibi putent, ipsis horum mendaciorum artificibus fuerit dispiciendum: cum satis constet, sub Imperatore M. Antonino Philosopho sibi Delphos adhuc ejus monumenti possessionem vindicasse. Pausanias illi Imperatori coævus Scriptor, postquam pleraque in templo Delphico visu memoratuque digna enarrasset, subdit: Επαναβάντι ἀπὸ τῆ μνήματ^ο Νεοπτολέμου τῆ Ἀχιλλέως, λίθ^ο ἔστιν ἕ μέγας. τότε καὶ ἔλαιον ὀσημέραι καταχέουσι, καὶ κατὰ ἑορτὴν ἐκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι τὰ ἀργά. ἔστι δὲ καὶ δεξιά ἐς αὐτὸν, δεξιῶναι Κρόνῳ τὸν λίθον ἀντὶ τῆ παιδός, καὶ ὡς αὐθις ἤμασεν αὐτὸν ὁ Κρόν^ο. Cum à monumento Neoptolemi Achillis filij ascendere rursus inceperis, lapidem videas modice magnum: hunc singulis diebus & maxime festis oleo perfundunt succidāq, lana velant. Percrebuit autem de eo opinio, eundem lapidem esse, quem pro puero exhibitum Saturnus devoraverit iterumq, per vomitum ejecerit. Et Romani tamen dudum ante hæc tempora ejusdem persuasionis ludi-

in Phocicis

Onom. IX, 1. brio fuerant gloriati. Declarat id, si nihil aliud, Statua Terapud Goltz. minimalis ἑλὴν ἐφορέα ut Polluci dicitur; jam in Augusti nummis ita num. Aug. P. efformata, ut Betyli Hesiodi instar haud obscure exprimat: 23. n. 20. capite quippe & pedibus tantum prominentibus; ceteris vero humani corporis partibus in pyramidis inversæ speciem confusis: ut vel fasciis, vel si Grammaticorum ineptiis auscultandum, caprina pelle obvolutas facile agnoscas. Eodem respicit in nummo Goltzj, fulmen, Jovis insigne, pedibus Βάιτυλ^ο. Termini subjectum; & quod prora navis impositum Termini Comment. num Tristani & Patini nummi exhibent: peregrinum & ad Hist. Part 1, venam Deum indicantes: neque enim alia prora significatio, quam puppis apud Ovidium in Fastis: lib. 1.

Theaur. Num. cap 6. p. 176.

*At bona posteritas puppim formavit in ære,
 Hospitis adventum testificata Dei.*

Quod vero ex viris doctis alijs ad exprimendum Augustæum illud

illud *Festina lente*, alij ad terrendos, qui tum Imperij finibus imminebant, Parthos, conjunctum cum Termino fulmen, opinati sunt, in eo fortasse plus quam fas erat, conjecturis suis indulgere. Nam, ut in fulmine agnoscatur velocitatis symbolum; at Terminum certe non tardigradum, sed immobilem Gentiles finxere: unde illud, ut qui terminum moveret, ἀκίνητα κινῆν *movere immobilia* proverbio diceretur: Romanis præsertim: ad quorum Terminum apposite Poëta.

Plât. de LL. VIII.
Ovid. Fast. lib. 2.

*Termine post illud levitas tibi libera non est,
Qua positus fueris, in statione mane.*

Quem & Virgilius, Capitoli immobile saxum nominavit, Parthos vero, qui ne telis quidem Romanorum valde terrebantur, pictis fulminibus coërcere Augustum voluisse, tam circumspècti Principis prudentia suspicari vix patitur.

Æn. lib. IX.

X. Si quæ sub involucro præstigiatorum figmento- rum, secretioris significationis, & naturalis præsertim sapi- entiaæ arcana latent, ut *Phornuto* & veteri in *Hesiodum* Scholia- sti visum est, illorum origo non ex Græcorum equidem, quod plerique faciunt, sed antiquiore Phœnicum Theolo- gia fuerit arcessenda: Inter cujus mysteria, Deus Uranus non *Betulum* tantum genuit, ἀλλὰ καὶ Βατύλια ἐπετόσηε λίθες ἐμ- ψύχως μηχανοσάμενθ. Sed & *Batylia* excogitavit, cum lapides ani- matos fabricasset: ut ex *Sanchoniathone* *Phylo Biblius* transtulit: & declarant specimina *Photio* consignata, quousque cum progressu temporis, diabolicarum præstigiatorum ludibria ex- creverint: de quibus *Isidorus Philosophus*, insignis magica- rum artium architectus & hinc tanto sagacior interpret, ipse, licet alio sensu confitetur: εἶναι τινὰ δαίμονα τὸν κινῆντα τὰς Βα- τύλους ἢ τῶν καθαρῶν παντάπασιν. Prorsus impurum aliquem demonem esse, quo agitante *Betuli* moveantur. quanquam doctissimus *Bochartus* errasse *Philonem* contendat, in vertendo *Sanchoniathone*; qui non *animandorum lapidum*, sed *ungendorum* inventum Deo *Urano* tribuerit: unde *Seldenus* quoque in erudito *de Diis Syris* Syntagmate *Bætylorum* nomen deducit. Et jam antea in *Animadversionibus Eusebianis* indicaverat *Scaliger*, quomodo à

De Nat. Deo- rum cap. de Rhea ad Theogon v. 498.

Euseb. Præ- par. Evang. Lib. I. c. 10. Bibliot Cod CCXLII. ap. Phot. d. l.

Geogr. Sacr. Lib. II. c. 2.

Synt. I. c. 5. & II. c. 1. ad ann. MMCL.

ho- non pu- en- Phi- nem ost- di- olé- sta- δόξα- σεν- dere iebus ebuit itum nani udi- Ter- ita nat: ve- niem au- Eo- ibus rmi- ad- fca- steum illud



pag. 19.
p. 430. cd
Francof.

do à sancta origine, ad supersticiosos & impios usus migraverit unctorum lapidum consecratio : inter quos, Romanorum Terminis locum *Nicolaus Rigaltius*, in notis ad *Siculum Flacum*, *Briffonius*, libro V. *Formularum*, aliique abunde passim asserunt.

XI. Attamen qui statum humani generis in oculis habent, qualem Saturno primum, deinde Jove imperante, exitisse Gentiles finxerunt, illis operosius explicandum non fuerit, quid lapis à Saturno devoratus, à Jove autem denuo latebris erutus, publicæq; gentium venerationi pro Termino commendatus designet; quando de commentitia priorum ætatum conversione & insignioribus periodis, è fabulis, vel generaliori & incertâ, qua defungi aliqui maluerunt, denotatione eruendis agitur. Loca Scriptorum jam alij diligenter collegerunt, ad descriptionem illius temporis spectantia, quo

vid. Bœcler,
Inst. Pol. Lib
1. c. 1. p. 10.

Sen. Hippol.

— *nullus in campo sacer
Divisit agros arbiter populis lapis.*

Neque ignotæ sunt ambages, per quas enitendum Ethnicis fuit, ut ad vitæ ordinatioris initium pervenirent.

Rom. I, 21.

XII. Cujus conditorem cum clarissima naturæ & divinorum operum luce convicti, agnovissent Deum esse : ἕως θεὸν ἐδόξασαν ἢ ἐυχαιέτησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοπίθη ἡ αὐτῶν καρδία. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωρέθησαν καὶ ἠλλάξαν τὴν δόξαν τῆ ἀφθάρτου Θεοῦ, ἐν ὁμοιωματι εἰκόνι φθαρτῆ ἀνθρώπου. non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: prolixo certamine vanitatis; cujus ἀκμὴν quandam & complementum in cultu terminorum licet deprehendere. vid. *Lactant. Inst. Div. 1, 20. Prudent. in Symmach. II. 1005.*

XIII. Et quàm inane erat solidæ venerationis, quàm plenum

plenum blasphemi ludibrii, quod auctoritatem legis, qua non magis fines populorum, quam generis humani securitas & tranquillitas continetur, inde stabilitum iverunt, unde sanctissimi Legislatoris majestas, oblivione, contemptu, ipsa denique futilissimæ religionis professione vilesceret?

XIV. Quam cum inter Christianos ab obscuræ credulitatis tenebris, Divina oracula vindicent, non potest vel significatio vel efficacia sententiæ ambigua esse, quâ providentiæ celestis miraculis accensetur, quod ut maria & fluvios & totam rerum naturam, ita gentes humanas certi limites distinguunt & definiti coercent termini: quos uti curâ omnipotentis Deus tuetur, ita æterna & immutabilis justitiæ decretis circumsepsit: quæ si violentur, injuriam ad contemptum divinæ legis pertinentem Deus vindicat: ut quæ in rebus quibusvis sancta sunt, multo magis in publicis Imperiorum finibus jura naturalia sancta, & propter jurium naturalium sanctimoniam, ipsi quoq; publici fines sancti esse intelligantur. Cum in his insuper manifestissimis indiciis præfulgeat character ordinis, ad gubernandum genus humanum, secundum cælestis sapientiæ normam divinitus instituti.

PF. LXXIV
17.

XV. In hanc enim summam recidere videntur, quæ terminos imperiorum partitim religiosa veneratione inviolabiles reddunt. Inter quæ primum sibi locum Divina in dividendis imperiis occupatio vindicat: irrefragabili Scripturæ Sacræ testimonio revelata. Insignis in cæteris locus extat Act. XVII, 26. Εποίησέν τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πάντων ἄνθρωπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, δεύσας προτεταγμένους καιρὸς καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. Fecit Deus ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum. Quæ nimis anguste interpretaretur, si quis ad solam dispersionem gentium restringeret, quæ de ædificanda turri Babylonica conspiraverant. Cum & ante diluviunt separatis familiis divisisque imperiis orbem terrarum habitatum fuisse, nequeat ambigi; & de divino auspicio non sinat dubitare benedictionis cælestis formula, qua implere terram universam primorum parentum genus jubebatur. Cujus vim in restauratione orbis post diluvium

Gen. I, 28.

B
lucium

Gen. IX, 1. luvium, ad dilatationem liberorum Noe in omnem terram pertinuisse,
 Gen. X, 1-32. evidentius expressiusque *Sacrae literae* memorant.
 XI, 8.

XVI. Nam qui nihil in ea partitione, præter indignationem Dei, impios ædificatorum turris Babylonicæ conatus, immiffa linguarum confusione dissipantis agnoscunt, illi vix cogitare videntur, quam solenne & usitatum sit supremo Numini, ut providentiæ suæ miracula, unde piis benedictionem instruit, improbis in maledictionem & pœnam convertat: ut non immerito *alibi* divisionem terrarum, inter beneficia Dei, *Moses* ingrato populo exprobret: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum & annuntiabit tibi: majores tuos & dicent tibi. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.*

XVII. Sicut autem ad Ethnicos etiam divisionis hujus fama pervenit, ut ex notabili fragmento *Hestiai Milesii* cognosci potest, quod *Eusebius* in *Preparatione Evangelica* lib. IX. c. 15. & in *Chronico*, ex *Josepho* desumptum exhibet: Ita dubia fidentur, quæ præter auctoritatem *Historiæ Sacræ de duplici divisione orbis, & Naachi testamento, Salianus* adstruere conatur. *Annal. T. I. p. 165. de I. N. & G. VI, 12.* Quamquam inter Christianos Scriptores pridem invaluisse traditionem *Seldenus* notet, qua divisisse inter filios suos *Noachus* orbem ferebatur, sacramentisq; singulos adegisse, ne quis eorum, alterius terminos transgrediretur. quod testimonia ex *Epiphanio, Eusebio, Philastrio* producta, & à *Samuele Bocharto* examinata, uberius ostendunt. Et licet *Bocharti* quidem rationes non evincant impossibilem fuisse talem divisionem: superfluum tamen fuerit, ejus auctoritatem ex parum liquida origine arceffere: cui adstruendæ, divini utique arbitrii tam perspicue promulgata majestas sufficere debebat.

XVIII. Illud expediendum potius fuerit: utrum primaviam orbis in diversa imperia partitionem, quam divina originis esse constat, etiam divini juris esse, hinc consequatur? Divini juris, inquam, sive naturalis, sive voluntarij: de quo distinctè loquendum

dum est ; nisi quis velit hanc rem pluribus tricis impeditam relinquere. Et jus naturale quidem, si huc eo significatu transferatur, quo juris naturalis esse interdum dicuntur, quibus jus naturale non repugnat; ipsa divinæ voluntatis, directionis, auspicij evidentia sufficit, ut non esse contra tenorem naturalis justitiæ divisa gentium imperia intelligantur, quæ Deo auctore divisa sunt.

XIX. Cujus reverentiam, non capio, quo merito queant audaci Philosophiæ prætere, qui *multo æquabilius & ad vitæ rationalis pacem, tranquillitatem, ipsamq; adeo naturam convenientius administratum iri res humanas contendunt, si, ut mundus univrsus unius Dei imperio regitur, unius solis radiis illustratur: ita cuncti, qui diversas orbis partes inhabitant populi, in unius reipublicæ corpus coalescerent, unoq; & communi regiminis spiritu continerentur.* Nam sive specimen exhibere instituerant dicendæ in Platonis Republica sententiæ; meminisse debebant, dudum inter ausa Gigantum damnata esse importunæ sapientiæ decreta, quæ gubernacula rerum Deo extorquere, & non qualem ille instituit, sed qualem sibi quisque fingit, orbis administrandi ordinem præscribere docet, vel in opprobrium ordinis à Deo instituti laudare & extollere: sive bona fide optabant securitati mortalium consuli; ante omnia efficiendum illis erat, *ut quæ saltem Soli est ad orbem terrarum lustrandum fovendumq; indefessa & stabilis facilitas, eadem & illi sit, cui rerum habenas committent, quo omnes imperij sui partes pari celeritate & efficacia curare possit.* Et audebunt ne post hæc, quanquam constituto ordinatoq; comuni tribunali, ad quod omnium gentium diffidia vocentur, vel sibi, vel aliis spondere, tam vastæ reipublicæ cives, non ruituros aliquando in bella civilia? quæ nunquam Romanum Imperium crudelius laceraverunt, quam cum fuit potentissimum: Postquam enim eo excrevisset, ut non orbis terrarum, neq; cuncta gentes conglobata movere illud aut contundere posse viderentur, cives cum civibus manus conseruere: ita defessi & exsangues regibus & nationibus exteris præda fuerunt. Neq; desunt præterea causæ graves & multæ, quæ si maxime obtineri quam sibi imaginantur felicitas posset, diurnam

Freinsh. ad Curt. IV, II.

Sallust. ad Cæs. Orat. I.



X, 5, 37.

polliceri non sinerent. Intra unius plerunque ætatis angustias populorum heroumque fortuna constringitur, quorum humeri tanto oneri ferendo pares judicantur: Et si omnis ævi exempla excutiantur, verum in plerisque reperietur, quod de Alexandro Curtius pronunciat: *Huius regi duciq; successor quærebatur: sed major moles erat, quam ut unus subire eam posset. Itaq; nomen quoq; ejus & fama rerum, in totum propemodum orbem reges ac regna diffudit; clarissimiq; sunt habitis, qui etiam minima parti tantæ fortuna adhæserunt.*

Curt. IV, 11, 22.

Liv. IX. 17.

Ep. XCI.
Vid Grot. de
I. B. & P. II,
22, 13.
Freinsh. ad
Flor. IV, 3, 8.
in Cæsar,

XX. Quanquam ne ostendi quidem talium imperiorum exempla soleant, quæ involutos unius dominationis ambitu totius orbis, omniumq; nationum ac gentium fines contineant. Nam quæ maxime universalia feruntur, Assyriorum & Persarum regna, intra Orientis terminos illustria & incomparabilia fuere; cæteris habitati orbis partibus ignoratis vel intactis: ipse autem, qui *nec mundum duobus solibus posse regi: nec duo summa regna salvo statu terrarum posse habere; ambitiosissime jactaverat Alexander, tantum ab occupando universi dominatu abfuit; ut non sine magna ratione dubium ejus progressibus eventum prudentes ominentur, si contra Romanos, quanquam cum ipsis potentia suæ incrementis tum adhuc luctantes, arma convertisset. non convenienti minus, quam acuta interim Seneca censura notatus: Alexander discere Geometriam infelix cœperat, sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupaverat.* Romanorum vero principatum, licet orbi conterminum detecta pridem vanitate & jactantiâ Scriptores illorum gloriantur: longe tamen moderatius ipsi Principes metiebantur. Augustus apud Julianum artes recensens, quibus invictam se reddidisse Romam gloriatur: *ὁ γὰρ τῆς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἶκον, (inquit,) ἐπιπταθεὶς πάντως αὐτῷ διενούθην, ὅσα δὲ διττὰ ὡσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδομένη, Ἰστρον καὶ Εὐφράτην ποταμούς ἐθέμην.* Non immodicis cupiditatibus fines ejus in immensum extentendi abreptus, intra Danubium & Euphratem, quos veluti limites proprios natura illi assignaverat, coercere imperium ejus summissus. A quibus terminis cum Trajanus imperium non ultra Danubium modo, sed trans Euphratem protulisset:

set: Hadrianus adeptus imperium, ad priscum se statim morem instituit, & tenenda per orbem terrarum paci, operam intendit: nam deficientibus his nationibus, quas Traianus subegerat, Mauri laceffebant, Sarmata bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana ditone non poterant; Ægyptus seditionibus urgebatur; Lycia deniq; ac Palestina rebelles animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem reliquit; exemplo ut agebat Catonis, qui Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant.

Spart. in Hadrian. c. 5.

XXI. Constatque adeo non ex hoc duntaxat, sed ex perpetuis omnis ævi documentis: pro statu generis humani, in tot gentes, situ, linguâ, indole, moribus sejunctissimas multiplicati, non paci tantum & securitati, sed salutis magnæ illius inter omnes homines societatis, ipsique hinc dictamini rationalis naturæ convenientissimum esse, ut & separatim imperiis, orbis universi gubernatio divisa sit; & unumquodque imperium, modo cum humani regiminis facultate congruente contineatur.

XXII. Confirmant id magna rationum, sententiarum, exemplorum varietate sapientes: quibus id fere ad incommoda & pericula regnorum imperiorumque ultra justam magnitudinem excrescentium notanda exprimunt, quod de civitate immodice ampla judicavit Aristoteles 7. Pol. 4. Ο λίκαν ὑπερβάλλον ἀριθμὸς, ἔδυναται μετέχειν τάξεως. θείας γὰρ δὴ τῆτο δυνάμεως ἔργον, ἢ τις καὶ τίδε συνέχει τὸ πᾶν. Nihil magis pugnat, quam immensus numerus, seu infinita multitudo, atq; ordo. Solus enim hoc prestare potest Deus, ut, quæ certum numerum excedit, certis legibus contineatur, multitudo. Quemadmodum ab eo, totum hoc, quod universi nomine vocamus, suis legibus suoq; ordine videmus contineri: ut Heinsiana Paraphrasis interpretatur. Totum hunc locum profunde excoluit Forstnerus ad Tac. 4. A. 32, 3. erudita vero annotatione copiose diffudit Gruterus ad Tac. 1. A. 11. 8. disc. 17. Add. Grot. de I. B. & P. III, 15, 7. Bernegg. Tub. Pac. p. 315. & seq.

XXIII. Cæterum ratiocinatio Aristotelis, qua contrariam reipublicæ administrationi nimiam civium multitudinem,

(B 3) inde



inde evincit; quia civilis regiminis ordini repugnat; haud obscure indicat, quo *praeceptum legis naturalis*, sive jus naturale proprie ita dictum inclinet, si quis ad dictam ejus animum accuratius intendat. Licet enim hinc demonstrari non possit, absoluta directaque obligatione, ad hoc, genus humanum teneri, ut divisim imperiis mundum colat: quia tamen indubitata naturæ lege Deus in humano genere, societatem; in societate, ordinem; in ordine, imperium esse jussit: idem facile intelligitur, ejusdem naturæ dictatu non præmonstrasse tantum, sed commendasse multiplicationem & divisionem regiminis humani, sine qua nec societas hominum, nec ordo, nec imperium, aucto in hanc amplitudinem humano genere vel consistere potest, vel si consisteret, ad tuendam orbis tranquillitatem & salutem diutius conservari.

de I. B. I. 1, 15

XXIV. Huc accedit, quod etiam si tam præcisa necessitas huic convenientiæ naturæ rationalis cum divisione imperiorum non subsit, qualis legi naturali adherere alias solet: adjuncta nihilominus illi auctoritas Divinæ voluntatis, tum testimoniis Scripturæ Sacræ superius adductis, tum experientia & usu tot seculorum manifesta, non modicam ei *divini juris*, quod *voluntarium Grotius* nominavit, efficaciam sanctitatemque conciliat: Si non ultra, hucusque tamen valituram, ut, cum se divina destinatione separatas esse, & in distincta imperia descriptas humanæ gentes intelligant; eadem opera sciant, à limitibus divinitus sibi assignatis, citra causas artesque divinæ voluntati consonas, recedere, terrasque & regiones ab aliis legitime possessas, suæ ditioni adjungere, jus fasque non esse.

XXV. Neque periculum est, ut cum operibus *Divinae justitiae*, confundantur *Divinae providentiae* opera, si quis communes utrisque effectus assignet: cum & in Republ quando judicialibus sententiis, majestas, litigantium controversias dirimit, vel in diversos magistratus, civilis administrationis munia partitur, juris ac legum vim apud subditos hi actus consequantur, quanquam ex legislatoria facultate, si quis distincte loqui amet, non descendant.

XXVI. Ne de conjunctissima utrorumque inter se necessitudi-

cessitudine nunc dicam, qua cuncta quidem *Divina providentia*
 miracula, ita veneranda sunt hominibus, ut consilia sua interim
 & proposita ad *Divini juris* normam mensuramque componere
 teneantur. Neque enim aliunde fas fuerit, æternū illum in rebus
 & creaturis omnibus gubernandis Dei conceptum, quem *æter-*
na legis nomine quidam signant, præcognoscere: ex vaticiniis
 vero, prædictionibus, oraculis in futurum divinæ voluntatis
 destinationisq; arcana scrutari; atque hinc non dominationis
 tantum suæ amplitudinem, sed novi juris ad alios invadendos
 subigendosq; efficaciam metiri vel munire velle, uti nō infre-
 quenter usurpata, ita communi dudum inter sapientes con-
 sensu damnata, temeritas est. *Hoc monebo, inquit, Grotius de I. B.*
& P. 11, 22, 15. non frustra, sed quia veteribus recentia conferens, magnum
maius, ni caveatur prævideat: justam belli causam non dare, spem conceptam
ex aliqua divinorum vaticiniorum explicatione. Nam præterquam quod
quæ nondum impleta sunt oracula, interpretari certo vix contingit sine pro-
phetico spiritu, etiam rerum certarum latere nos possunt tempora: ac postre-
mo prædictio, nisi expressum adsit Dei mandatum, jus nullum dat: cum Deus,
quæ prædixit, sæpe per improbos homines aut pravas actiones ad exitum ire
permittat. Cujus moniti veritas, si in ulla re alia, certe in im-
periorum mutatione per varia amplitudinis incrementa &
decrementa, manifestissima est. Et est equidem Deus, qui
non solum cælum & terram, nec solum Angelum & hominem, sed nec
exigui & contemtibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec her-
ba flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium convenientia, &
quadam veluti pace dereliquit, nullo modo credendus, regna hominum,
eorumq; dominationes & servitutes à sua providentia legibus alienas esse
voluisse. Atque id ne Ethnicos quidem ignoravisse, argumen-
to est solenne precationis carmen, quo Dii immortales in lustro con-
dendo rogabantur: ut pop. Rom. res meliores amplioresq; facerent; donec
in signi moderatione Africanus posterior id emendavit, preca-
rique jussit, ut eas perpetuo incolumes servarent. Examinavitque
ad normam Christianæ veritatis, errores Gentilis Theologiæ,
in æstimandis publicorum incrementorum causis, Augustinus de
Civ. Dei Lib. 4. & 5. Sed minimum est, quod in hac disciplina
vel cognitioni vel inquisitioni hominum subicitur. E qui-
bus profundissime sapiunt, qui vias quidem, per quas Deus mo-
 do

Augustin. de
 C. D. V. 11.

Val. Max. IV
 l. 39.

do hunc, modo alium populum ad destinatae potentiae latitudinem provehit, pio stupore venerari, dum occultae sunt; & quatenus intelliguntur, in honorem & gloriam supremi Numinis interpretari didicerunt. Cujus Philosophiae specimen eximium, in aestimanda Romani Imperij potentia, passim SS. Patres exhibuere: qui subinde magna sententiarum gravitate confirmant, quod eleganti carmine diffudit *Prudentius contr. Symm. lib. 2. v. 582. seqq.*

*Vis dicam quæ causa tuos Romane labores
In tantum extulerit?*

*Discordes linguis populos & dissona cultu
Regna volens sociare Deus, subjungier uni
Imperio, quicquid tractabile moribus esset,
Concordi q̄ jugo retinacula mollia ferre
Constituit.*

Et mox:

*Hoc actum est tantis successibus atq̄ triumphis
Romani Imperij: Christo jam tunc venienti
Crede parata via est; quam dudum publica nostra
Pacis amicitia struxit moderamine Romæ.*

Lib. 1.

de Civ. Dei.
V, 21.

Adde Thuanum ex similibus principiis Hispanicae potentiae augmenta arcessentem. Et quaecunque tandem istis, exempla jungantur, aptari se ad illa patietur haud incommode, *Augustini imperatoris: Hac plane Deus unus & verus regit & gubernat, ut placet. Etsi occultis causis, nunquid injustis?*

XXVII. Cæterum omne quod hominibus in possidendo regendoque orbe, jus, ex originaria acquisitione competit, uti à divina concessione penitus dependet; sine qua neque occupationis neque divisionis humanae, ad quam alij respicere malunt, ulla efficacia fuisset: Ita in hoc usque tempus à primæva illa gentium in omnes terræ partes dispersione, per infinitas populorum conversiones successionesque, discretio generis humani derivata est; qua non minus imperio territoria publica, quam privata prædia dominio separantur. vid. *Grot. de I. B. & P. lib. 3. 4.* Ut

XXVIII. Ut æquali robore ac evidentia, qua Deus in re quavis abstinere alieno jure præcipit, regna quoque & imperia aliena invadere sit prohibitum. Ejusdemque criminis rei existant, qui sine justa causa populum quemcunque à legitimis finibus, quam qui dominum ex ædibus suis agròve deturbant. Et licet alia vulgo nomina etiam iniquæ terminorum prorogationi circumponantur: Inferre tamen bella finitimis & inde in cætera Augustin. de procedere, ac populos sibi non molestos, sola regni cupiditate contere ac sub- C.D. IV, 6, dere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?

XXIX. Idque cum tam aperta legis divinæ auctoritate sanciat; mirari subit, unde magistri Hebræorum derivare jus sacrum interpretarique didicerint, quo sine ulla alia causa, dummodo nominis imperii que proferendi spes esset, alios populos bello aggredi licitum tradiderunt. Et fuisse quidem aliquorum hanc sententiam, facile Seldeno afferenti, & illustriora quædam loca producenti crediderim: Sed Philonem in illorum numero merum referre non ausim. Cujus gravissimo judicio æque ac ab Augustino, passim damnantur οἱ τὰς μεγάλας ἐργαζόμενοι κλοπὰς, σαρκοῖς ὀνόμασιν ἀρχῆς ἐπικρύπτοντες λησείαν ἀληθές εἶρον. Qui magna furta committunt, qui honesto principatus nomine obumbrant ea que re ipsa nihil nisi latrocinia sunt. Sed nec Phinees in loco quem Seldenus indicat, de disciplina sensuque Hebraici juris testatur: qui causam belli adversus Midianitas commendaturus, comparatione instituta, consuetudinem aliorum populorum damnat, solâ imperij proferendi & aliena occupandi libidine in bella ruentium: Οὐχ ὑπὲρ κρείττους ἀρχῆς (inquit) ὁ παρὼν ἀγὼν ἐστίν, ἐδὲ ὑπὲρ τῆ κτήσασθαι τὰ ἑτέρων, περὶ ὧν ἢ μόνον ἢ μάλιστα εἰσιν οἱ πόλεμοι, ἀλλ' ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ ὁσιότητος ὧν τὸς ἡμετέρας συγγενεῖς καὶ φίλους ἠλοτείωσαν οἱ ἐχθροί. Non de imperio nunc certamen instat, nec de invadendis occupandisque, alienis possessionibus, quæ vel sola vel præcipua aliorum bellorum causa est: Sed pro tuenda religionis & pietatis sanctimonia, quam consanguineis nostris hostes ereptum iverunt. Quem sensum idem Philo ad Decalogum explicatius expressit: ubi notabilem descriptionem malorum damnorumque, quæ ex cupiditatibus immodicis oriuntur, in hunc modum concludit: οἱ γὰρ Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων πρὸς τε ἑαυτοὺς, καὶ πρὸς ἀλλήλους τραγωδιήτεντες πόλεμοι πάν-

de I. N. & G. VI, 12.

de vit. Mos. Lib. I. p. 649. ed. Paris.

u-
&
fu-
men
SS.
ate
ntr.

tiæ
em-
Au-
pla-

den-
etit,
e oc-
ma-
næ-
itas
hu-
ica,
p.
Ut



τῆς ἀπὸ μιᾶς πηγῆς ἐκπύουσαν ἐπιθυμίαν, ἢ χερμαίων, ἢ δόξης, ἢ ἰδωνῆς.
 Nam bella illa Græcorum Barbarorumq̄, aut inter se, au horum in illos, etiā
 tragædiis decantata, ab uno fluxere fonte cupiditatis, sive illa divitiarum sive
 gloria sive voluptatum fuit. Hebræorum vero bella non Iosephus
 tantum, sed & Christiani Doctores ab hac infamia absolvunt: in-
 ter quos Cyrillus nominatim Hebræorum Regum instituta, qui
 se intra suos fines continebant, extollit.

adv. App. lib
 2.
 Contr. Iuli
 an. lib. 5.

XXX. Neque si degeneravisset populus Judaicus à præ-
 cepto divinæ legis, major hujus exempli autoritas esset futu-
 ra, quam cæterarum Gentium orientalium: quibus jam certi-
 us constat, unam & eam veterem causam bellandi fuisse, cupidinem pro-
 fundam imperij & divitiarum. Exempla recentia pariter & anti-
 qua colliguntur in Berneggerianis Questionibus in Tacitum Quæst. II. &
 CLXXXVII. Quibus si quis divini naturalisque præcepti dicta-
 men impugnari obscurarive posse contenderet, perinde foret,
 ac si quis furta, rapinas, adulteria in honestis numerare vellet,
 quia integras aliquando nationes ista flagitia fœdaverê. Conf.
 Calixt. Th. mor. p. I. c. de Legibus.

XXXI. Quid quod tam potenti patrocinio hæc ipsa de
 non violando alterius jure, in conscientia generis humani, munita
 lex est; ut ne ipsi quidem, qui solam dominandi libidinem
 belli causam habent, sine justitiæ velamine, rectam illi fron-
 tem audeant obvertere. Prorsus enim ad paucos, nec nisi bar-

Tac. 15. A. 1. baros Tiridatis Armeni vox rediit: sua retinere, privata domus; de a-
 lienis certare regiam laudem esse: & cum barbarie vitæ belluinæ ac
 infociabilis dudum damnata est feritas ævi veteris, quo latro-
 cinia nullam habebant infamiam, qua extra fines cujusq̄, populi civitatisq̄,
 fiebant. Sed & illis, qui dum maxumam gloriam in maxumo Imperio
 putant, aliorum servitute fas esse jactant suam potentiam stabi-
 Tac. 12. A. 37 lire, pridem ore Caractaci Britanni responsum est: Non si vos omni-
 bus imperitare vultis, sequitur ut omnes servitutem accipiant.

Cæs. de B G.
 VI. 23.

Tac. 12. A. 37
 2.

XXXII. Quin, si propria nonnunquam aliorumque con-
 scientia prætextu juris & externa specie deluditur: at Deus
 certe legis, cujus Auctor est, vindictam non deserit: cujus ju-
 sto judicio sæpissime

οἱ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας
ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι,
Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς αλλοτρίοις.

Stob. Serm.
53 p. 213.

*Qui suis aliena quodq; volunt adyicere,
Hi sepius victi sua spe frustrantur
Addunt q; alienis, quae prius erant propria.*

ut Menandri versus habent. Dio Chrysostomus Hesiodicum illud Or. 176
πλέον εἶναι τῆ παντὸς τὸ ἥμισυ. dimidium plus esse toto, etiam Platoni de LL, III,
laudatum explicans: πῶς γὰρ πώποτε (ait) ἢ βασιλεὺς ἢ δυνάστης ἢ
ἡμῶν ἐπιχειρήσας ὑπερβῆναι τὸ δίκαιον καὶ τῆ πλείονος ὑπερβῆναι, ἐχ
ἀπασαν μὲν πῶ ὑπάρχουσαν εὐδαιμονίαν ἀπέβαλε, μεγάλας δὲ καὶ α-
μηχανοὺς ἐχρήσατο συμφορὰς; Quis enim unquam aut rex aut dynasta aut
populus, conatus justam mensuram transgredi, & plura appetere, non omni
praesen. e felicitate dejectus, magnis & insuperabilibus calamitatibus est ob-
rutus? Ut non minus vere de terminis publicis usurpari possit,
quod de limitibus privatorum agrorum Plato extulit: Μὴ κινεί-
τω γῆς ὄρια μηδὲ βελέσθω δὲ πᾶς πέτρον ἐπιχειρῆσαι κινεῖν τὸν μέγι-
στον ἄλλον, πλὴν ὄρον μᾶλλον ἢ μικρὸν λίθον δείζοντα φίλιαν καὶ ἐχθραν
ἔνορκον παρὰ θεῶν. οἱ μετὰ πολέμων τῶν ἐχθίστων ἐγείρονται. Ne-
mo fines alicujus terminos alieni agri moveat: Sed malit quisq; lapidem in-
gentem movere, quam terminum quantumvis exiguum: amicitiam quippe
ab inimicitia Divis testibus separantem: qui saevissimis bellis solent in sui ul-
tionem insurgere.

de LL. VIII.

XXXIII. Unde sua sponte consequitur: etsi non sta-
tim fulmen, abolendæ hominum iniquitati Deus expediat;
cum fiducia tamen justæ ac Deo gratæ possessionis, imperi-
um retineri non posse, quod per injuriam aliis est ereptum.
quanquam victis, qui se sub leges pacis iniquae tradiderunt, jus
pereat, in pristinam libertatem statumque se ac sua vindi-
candi: cujus persecutio nisi pactorum fide, vel certi tempo-
ris limitibus coerceatur, nunquam reditura quiete, turbis
bellisque genus humanum consumi necesse erit. Ne de per-
petua rerum ac jurium omnium confusione nunc dicam, qua

totus orbis permisceretur, si cuique vindicandi, quæ aliquando possedit, licentia, vel voluntas integra semper maneret. In disputatione parum alias solida non incongrue de suis jam temporibus iudicabat Carneades: Omnibus populis, qui florebant imperio, & Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potiebantur, si iusti voluissent esse, hoc est, si aliena restituissent, ad casas fuisse redeundum, & in necessitate ac miseriis vivendum. Add. quæ in eandem sententiam differit Gonzaga Dux Nivernensium, apud Thuan. lib. 59. p. 42.

Lactant. V.
16.

XXXIV. Neque tamen hinc minus valide adversus alienorum finium invasores, legis naturalis autoritas persistit. A qua veneratio & sanctimonia in monumenta terminalia eatenus descendit, quatenus ipsum jus finium propriorum alienorumque, quod per se in externos sensus non incurrit, munere opeque illorum demonstratur. Quod nisi fiat, assidua inter populos conterminos de jure incerto contentio, & novorum bellorum semina erunt: Ovidius ad Terminum

Fast. II.

*Tu populos urbesque, & regna ingentia finis,
Omnis erit sine te litigiosus ager.*

statim subjicit exemplum, Herodoto 1, 82. Valerio Maximo III, 2, extern. 4. Plutarcho in Parall. III. aliisque descriptum

*Sicut tu signasses olim Thyreatida terram,
Corpora non letko missa trecenta forent:
Nec foret Othryades congestus tectus in armis;
O quantum patrie sanguinis ille dedit.*

Unde vel nullos, vel obscuros confusosque imperiorum terminos esse, imprimis illorum interest, qui de imperio dilatando sunt solliciti: quo difficilius injuria, qua suum aliis eripiunt, intelligi possit. Plutarchus de Numa Pompilio.

in vit. Num.

δοκῆ δὲ καὶ ὅλως αὐτῶς οἰεῖσαι τὴν χώραν ὁ βασιλεὺς, Ῥομύλου μὴ βελήθηντο ἐξομολογήσασθαι τῷ μέτρῳ τῆς δικαίας τὴν ἀφαιρέσειν τῆς ἀλλοτρίης. δοκοῦν γὰρ εἶναι τῆς δυνάμεως τὸν ὄρον ἀν φυλάτῃται, μὴ φυλαττόμενον δὲ τῆς ἀδικίας ἐλεγχον. Tota agrorum distributio ad Numam est referenda: Nam Romulus (ut concinne Albericus Gentilis transtulit)

de Arm.
Rom I 2,

noluit.

noluit mensura proprij agri prodere mensuram alieni. Siquidem vi-
 rium compedes esse terminos si servarentur, & injuriæ indicium, si non
 servarentur. Idem Plutarchus alibi hoc Romuli propositum di-
 cterio Spartani Archidami (quanquam & Antalcida idem tribui-
 tur) describit: è quo cum alius quaesisset, qui Spartanorum essent ter-
 mini? gladius & hasta, respondit. Neque fieri potest, ut inter
 quos populos nulli fines statuti sunt, ij aliter, quam armis,
 aut mutuo metu distinguantur. Ita Germania olim à Gallis
 quidem Rhatijsq; & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus; à Sar-
 matis vero Dacisq; mutuo metu aut montibus separabatur. Inter
 cæteras autem gentes interpositi limites, demonstrando qui-
 dem juri indicium, sed non acquirendo fundamentum præ-
 stant. Unde mutati termini non jus mutant, sed jurismu-
 tati argumentum sunt. Quare quod à Grotio traditum est: 16,
 in agris arcifiniis flumen mutato paulatim cursu, mutare & territorij fi-
 nes, & quicquid flumen parti alteri adjecerit, sub ejus imperio esse, cui
 adjectum est: illud ex vi & dictamine naturalis præcepti nequa-
 quam descendit. Sed præsumptæ populorum ab utraque flu-
 minis parte ripas possidentium voluntati unice innititur:
 qui censentur modico detrimento commoditatem naturalis
 termini velle redimere: qua præsumptione cessante, aliud di-
 cendum, rectè jam est à Puffendorffio observatum. Qui vero
 de naturalibus imperiorum terminis ita disputant, ut illos à
 Deo cum effectu præcepti naturalis, ne mutari unquam possint, statutos
 contendant; illi quid aliud quam omnes, quæ nunc latius
 quam olim regnant, sine discrimine gentes, violati juris na-
 turalis insimulant? Cum tamen Deus, quos terræ posuit ter-
 minos, non nisi hominum iniquitati, minime vero juri per-
 sequendo, opposuerit. montes vero, flumina, maria hoc tan-
 tum à natura habeant, ut dum transiri difficilius possunt,
 limitandis distinguendisq; populis apta & idonea existant:
 ab ipsorum vero populorum voluntate ac jure characterem
 usumque limitum ac terminorum consequantur. Inde non
 raro fluvij per media regna labuntur, quorum aliquando
 limites fuere; neque populos mari seunctos, novum est sub
 commune imperium cogi: & quis neget, vel Italiæ Galli-
 am, vel Italiam Germaniæ subjici potuisse, quod utrinque

Quæst. Rom VIII.

Apoph. La- con.

Tac. Germ I, 1.

de I. B. II, 3.

de I. N. & G. lib. 4 c. 7. 5.

vid Gryph. de insul. XIV. 87.

Alpes interjacent? Ut parum roboris argumento insit, quando in controversiis finium publicorum, vetusti pridemque amissi termini allegantur. Dignum est quod inspiciatur exemplum Artaxerxis apud Herodianum VI, 2. qui omnem Europæ oppositam continentem, quæ mari Ægeο fretοq; Propontidos terminatur, atq; Asia nomen habet, ceu veterem Persarum possessionem sibi vindicabat, quod jam inde à Cyro ad Dariam usq; cuncta olim Jonia Cariaq; tenuis à Persarum Satrapis essent gubernata. Προσέκειν ἔν αὐτῷ Πέρσαις ἀναγεώσασθαι πᾶσαν ὀλόκληρον ἢν πρότερον ἔχον ἀρχήν. Idcirco sui muneri esse, curare ut vetus atq; integrum imperium Persis restitueretur. Καὶ ταῦτα δὴ τὰ πρὸς Ἐυκλείδῃ ἀνυποπόλας ἀνακινῶν, ita ille velut ante Euclidem gesta movebat invercunde: quo proverbio aliàs ταῦτας τὰς μυθικὰς καὶ παλαιὰς ἀποδείξεις non immerito notant Scriptores. vid. Grot. de I. B. & P. II, 4, 2. & ibi. not.

XXXV. Quominus itaque proferri ac dilatari fines imperij possint, dummodo alteri non inferatur injuria, lex naturalis non prohibet. neque sanctimonia terminorum violabitur; si hac causâ moveantur, ut vel sponte dedita, vel à nemine prius occupata pristinis finibus adjiciantur. Non est enim cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat amisisse. An vero armis & per vim alios subigere, latiusque imperium efficere justum esse possit? dubitatum est: & si quidem ea sperari inter homines felicitas posset, ut nemo per injuriam eos læderet, quibus sine cupiditate alieni, sua satis placent; justis bellis neque causæ subnascerentur, neque bonis adversus improbos securitas esset paranda. Nunc iniquitas eorum, cum quibus justa bella geruntur, regna ut crescant adjuvat: dum qui priores læserunt, favente rationis naturalis dictamine, omniumq; gentium moratarum consensu, vel ut reprimantur, vel intra legitimæ ultionis modum, subiguntur. Si quies & justitia finitimorum (inquit Augustinus de Civ. Dei IV, 15.) contra se bellum geri nullâ provocaret injuriâ, felicioribus rebus humanis, omnia regna parva essent, concordî vicinitate letantia: & ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe plurimæ domus civium. Proinde belligerare & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia pejus esset, ut injuriosi justioribus Do-

mina

Cassiodor.
Var. IV, 34.
v Alb. Gen-
til. de I B. III
4.
Grot, III, 8.


minarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas. Qua & apud Plutarchum traditur: Τὸν Ἡρακλέα πάντων κρατεῖν ἀμυνόμενον καὶ προεπιχειρέμενον. *Herculem cuncta subegisse, dum se lacepsitus defendit.* In Vit. Nicias. Adde, quod nec sine assensu suo in ditionem ac jus victoris redigi videntur, qui postquam semel per injurias proprias hostili ferro grassandi impune licentiam fecere, salutem suam libertati aut dominationi præferre malunt. Iterum civili cordatoque judicio *Augustinus de Civ. Dei XVIII, 2. in omnibus fere gentibus quodammodo vox natura ista personuit, ut subjugari victoribus mallet, quam bellica omnifaria vastatione deleri.* Et *de Civ. D. XIX, 12. Nihil aliud est victoria quam subjectio repugnantium: quod cum factum erit, pax erit.* Unde ipsam quæ plena est, quæque ultimam bello manum imponit, victoriam, pactum in se continere existimo; quod ad violentam imperij occupationem *Puffendorffius* requirit: Nam ut cum *Hornio*, victos quis subjugatosq; nominet, qui nondum victoris jugo colla submisere, nondum arma, vel quod ultimum succumbentibus telum est, desperationem bona fide deposuere, quiq; adeo, reluctando, vel cohibendo consensum suum, non victorem, non dominum agnoscunt, illud vix sensum congruum habet. de I. N. & G. VII, 3, 3. de Civ. II, 9, 2.

XXXVI. Hucusque jus victoris porrigitur. Cætera æquitati ejus, moderationi, prudentiæ permittuntur: quam præclaris cautionibus *Grotius* instruxit munivitque. Symbolum ejus, Romani ex instituto *Numæ Sacra Termini incruenta coluere*, etiam alio loco quam quem *Grotius* laudavit, *Plutarcho* descripta: quorum tamen usus Romæ mox cum sanctitate morum intercidit. nam quod ad sua usque tempora durasse *Dionysius Halicarnassensis* asseruit, id communibus scriptorum Romanorum testimoniis refutatur. Meretur interim laudari gravissima de armis Romanorum *Dionysii* censura: qui cum terminos à Romanis Deorum honore cultos tradidisset; subjungit: ἐχεῖν δὲ καὶ τὸ ἔργον ἐτι φυλάττειν, ὅν χάριν θεὸς ἐνόμισαν τὰς τέρμονας ὀνομάσαι, ἰκαμεμένους τοῖς ἑαυτῶν κτήμασι, τῶν δαλλοτείων μὴτε βία σφετεριζόμενος μηδὲν, μὴτε δόλω. νῦν δ' ἔχ ὡς ἀμεινον, ἔδ' ὡς πρόγονοι παρέδοσαν, οὐδέ τις τις ἀπὸ τῶν ἀλλοτείων τὰ δικεῖα ἀλλ' ἔστιν αὐτοῖς ὅρθ' τῶν κτήσεων ἔχ ὁ νόμος, ἀλλ' ἢ πάντων ἐπιθυμία πρῶγμα ἔ καλόν. *Debuerant autem*

Arch. II, p. 100.

tem

tem etiam rem ipsam servare, ob quam consecrati sunt termini, & contenti propriis possessionibus, alienas nec vi nec dolo appetere: Nunc non recte neq; more majorum à suis aliena determinant; non lege, sed cupiditate possessiones finiente: quod iniquum & indecorum est. Neque illo tamen tempore, quanquam inter Ethnicos, in parte disciplinae civilis publice jactabatur, quæ heri aut hodie inter Christianæ politices mysteria ostentari cæpit regula: statum **Vid. Bac. Ve** qui amplificando imperio studet, uti ejusmodi legibus & consuetudinibus **Fidel. XXIX.** debere, quæ justas illi causas, aut saltem prætextus arma capessendi tanquam in promptu ministrant. Quid est infidias justitiæ struere, si hoc non est? & quantum refert, audaci contumaciâ, an improba cavillatione Divini juris reverentia proculcetur.




Strassberg, Diss., 1674-75

X 2617022

VD 17







Vol. XXI. num. 10.

*996.
~~XXXII~~*

1674, 5.

Q. D. B. V.
SACRA TERMINI

Praside
ULRICO OBRECHTO,
Hist. Prof. Ord.

*Ad examen Solenne
exhibita*

à
JO. FRIDERICO TRIER,
Mainunga Hennebergico.

D. m. Martij.

ARGENTORATI,
Typis JOH. WILHELMI TIDEMANNI, ANNO cl^o l^oc LXXIV.

